

medios libros Cyrilli, qui intercederunt, ex suo ingenio reparavit, ut opus Cyrilli nullum completeret et perficeret) in *Joan.*, lib. VIII, XVII, ubi varias sanctae crucis figuras conglobate enumerat; et Cyprianus, lib. *De Zelo et timore*, in fine, ubi docet, quomodo cruce Christi ira et amarulentia sit lenienda et dulcoranda: « Venena, inquit, fellis evome, discordiarum virus excludere: purgetur mens, quam serpentinus livor infecerat; amaritudo omnis cruce intus incederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis et cibum sumis et potum, lignum quod apud Mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiet ad mulcendi pectoris lenitatem. Ama eos quos antea oderas, dilige illos, quibus injustis contrectationibus invidebas. »

Audi et Cassiodorum in *Psalm.* IV: « CRUX; inquit, est humilium tutio invicta, superbiorum defectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, caelestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum: de qua S. Chrysostomus: Crux est Christianorum spes, crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, coecorum dux, conversorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vite eterne. »

Et Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XII: « CRUX Christi clavis est paradisi: haec infirmorum baculus, pastorum virga, se convertentium manu ductio, proficientium perfectio, salus animae et corporis, omnium malorum aversio, bonorum omnium datrix. »

Et Rabanus, *De Laude Crucis*: « Tu sancta, ait, crux, peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, infirmorum remedium, lassorum refugium, sanorum incolumitas, desperatorum securitas, infortunatorum felicitas. »

Merito ergo S. Bernardus: « Circumire, inquit, possum, Domine, caelum et terram, mare et aridam, et nusquam te inveniam, nisi in cruce: ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides est, cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profunditas timor. In hac cruce te invenit, quicumque invenit: in hac cruce suspenditur anima, et dulcia poma de ligno decerpit. »

IBI CONSTITUIT ET PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA. — Deus dedit Israeli in Mara aliquas leges ceremoniales et judiciales: quoniam haec fuerint, Scriptura non exprimit; quod enim Rabbi Salomon dicit haec praecepta fuisse duo: *primum*, de sabbato servando; *secundum*, de vitula rufa comburenda, ut ex ejus cinere fieret aqua lustralis, qua expiarentur immundi, de qua *Num.* XIX: hoc, inquam, figmentum plane fabulosum et erroneum est, nisi recte ostendit Abulensis (1).

(1) Hæc verba a multis intelliguntur tantum de ea abhortatione ad obedientiam Deo præstandam, quæ sequitur. Tentasti enim, scilicet per sitim.

ET IBI TENTAVIT EUM. — Populum scilicet Israel tentavit Deus, leges jam dictas ferendo et sanctiando, quibus obedientiam populi tentare et experiri statueret, patet ex sequentibus.

26. CUNCTUM LANGOREM. — ex ulceribus, sifi, *Vers.* M. peste aliisque plagis Egyptiacis mananiam.

Ego enim sum Dominus Deus sanator tuus. — Hebraice אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֶיךָ רֹפֵאֶיךָ, id est, ego sum medicus tuus. Discere hic in morbis ad Deum, quasi archiatrum recurrendum, ipsoque maxime nitendum esse. Rursum Deum saepe languores et morbos ob peccata immittere, ut hic dicitur: quæ si cessent, cessabunt sæpe et morbi.

27. VENERUNT AUTEM IN ELIM, UBI ERANT DUODECIM FONTES AQUARUM, ET SEPTUAGINTA PALMÆ. — g. d. Venerunt in Elim, ubi erat tum mira amenitas arborum et fontium, tum copiosus potus et cibus: palmæ enim suos dactylos ad cibum præbent. Est hæc sexta mansio in Elim.

Tropologie S. Hieronymus ad *Fabiolam*: « Pulcher, inquit, est hic ordo virtutum: post maris Rubri victoriam sequitur tentatio, post tentationem refectio: de Mara, id est amaritudine, venimus in Elim, id est ad arietes et robustos principes gregis Christiani, ubi duodecim fontes doctrinae Apostolicæ, et septuaginta palmae victricis fidei, septuaginta discipulorum Domini nos recreant. Sic et Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. XXIV, per duodecim fontes duodecim Apostolos, per septuaginta palmas septuaginta discipulos Christi intelligit.

Palma non cedit oneri, non flectitur pondere, sed adversus pondus sursum nititur: hinc symbolum est viri fortis, qui non cedit oneribus, irisionibus, detractionibus; non flectitur in inferiora, sed ad superiora enititur atque exurgit, suaque patientia vincit omnia.

Rursum, nota hic vitam fidelium esse assiduum professionem, eosque ire debere de virtute in virtutem, ut ad terram promissam in caelis perveniant, donec videant Deum deorum in Sion. Vidit Jacob sealam e terra in caelum porrectam: hæc nobis ascendendum est itinere longo et molesto; festinemus ergo: grandis enim nobis restat via ad perfectionem, ad beatitudinem. Ad hoc egregia praxi usus est S. Carolus Borromeus nuper Cardinalis. Cum enim delicate esset entritus, contenderetque ad insignem sanctimoniam, cepit se in parvis mortificare et vincere, faciles penitencias suscipere, singularum virtutum faciles actus obire. Deinde quotidie ulterius ad graviores et difficiliore progrediebatur; habebatque hoc fixum animo non cessare, non sistere, sed quotidie progredi, donec summum virtutis culmen attingeret, v. g. una septimana abstinere vino, alia carne, tertia pisce, quarta ovis, etc., itaque eo tandem pervenit, ut ultimis vite annis quotidie solo pane et aqua viveret, exceptis festis, quibus aliquid obsonii addebat, non tamen carnem, nec piscem, nec ova, nec vinum: his enim semper

abstinebat. In Quadragesima etiam pane abstinere, tantumque fœbus et fabis vivebat. In hebdomada sancta non nisi lapinis (genus est pisiorum amarorum) victulabat. Lectus ejus erat sacrus stramineus, aut sedes; aiebat enim episcopum super gregem vigilare debere, ne proinde parce et sedentem dormire, uti faciunt strati dices in bello. Glicio duro utebatur, quod etiamnum servant Mediolanenses: rudi disciplina corpus castigabat; labores continuos et maximos jugiter capesbat. Dicebat enim animi generosi et invicti esse, semper majora aggredi, et

in vita spirituali magnis passibus progredi. Sicut enim mercatores intenti lucro, illi quotidie aliquid adjiciunt; et sicut hortulani quotidie hortum excolunt, pictores quotidie imaginem quam pingunt, expolliunt et perficiunt: ita multo magis quotidie virtuti aliquid adjicere debet, qui ejus est studiosus. Ita fecit ipse, donec eo perveniret, ut vix ulterius quid superesset, quo progredere-tur, nisi ut diceret cum S. Paulo: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo: » unde et paulo post hæc vita defunctus est. Ita narrat auctor Vite ejus, lib. VIII, cap. XXI.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deficiente pasta, fames Hebraei murmurant. Deus eis mittit coturnices, et vers. 14, ningit sive grandinat manna, eoque eos quotidie alit per 40 annos.

1. Profectique sunt de Elim, et venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai, quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Egypti. 2. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen et Aaron in solitudine. 3. Dixeruntque filii Israel ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in terra Egypti, quando sedebamus super ollas carnis, et comedebamus panem in saturitate! cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame? 4. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluviam vobis panes de caelo: egredietur populus, et colligat quæ sufficiunt per singulos dies, ut tentem eum utrum ambulet in lege mea, an non. 5. Die autem sexto parent quod inferant; et sit duplum quam colligere solebant per singulos dies. 6. Dixeruntque Moyses et Aaron ad omnes filios Israel: Vespere sciatis quod Dominus eduxerit vos de terra Egypti; 7. et mane videbitis gloriam Domini: audivit enim murmur vestrum contra Dominum: nos vero quid sumus, quia missistis contra nos? 8. Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, et mane panes in saturitate; eo quod audivit murmuraciones vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. 9. Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino: audivit enim murmur vestrum. 10. Cumque loqueretur Aaron ad omnem caetum filiorum Israel, respexerant ad solitudinem; et ecce gloria Domini apparuit in nube. 11. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: 12. Audivi murmuraciones filiorum Israel, loquere ad eos: Vespere comedetis carnes, et mane saturabimini panibus; sciatis quoque ego sum Dominus Deus vester. 13. Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros jacuit per circuitum castrorum. 14. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, et quasi pilo tusum, in similitudinem pruinae super terram. 15. Quod cum vidissent filii Israel, dixerunt ad invicem: Manna? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum. 16. Hic est sermo, quem præcepit Dominus. Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tollitis. 17. Feceruntque ita filii Israel; et collegerunt, alius plus, alius minus. 18. Et mensi

Deo-
citi
fontes
sunt
12
Apo-
stoli; 70
palme
sunt 70
discipu-
li.

Sancti
quotidie
profici-
unt in
virtute.

Paras
S.
Borrome-
us.

sunt ad mensuram gomor : nec qui plus collegerat, habuit amplius : nec qui minus paraverat, reperit minus : sed singuli juxta id quod edere poterant, congregaverunt. 19. Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo in mane. 20. Qui non audiverunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque mane, et scatere cœpit vermibus, atque computruit, et iratus est contra eos Moyses. 21. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad descendum : cumque incaluisset sol, liquebat. 22. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines : venerunt autem omnes principes multitudinis, et narraverunt Moysi. 23. Qui ait eis : Hoc est quod locutus est Dominus : Requies sabbati sanctificata est Domino cras, quodcumque operandum est, facite, et quae coquenda sunt coquite ; quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in mane. 24. Feceruntque ita ut præceperat Moyses, et non computruit, neque vermis inventus est in eo. 25. Dixitque Moyses : Comedit illud hodie, quia sabbatum est Domino, non invenitur hodie in agro. 26. Sex diebus colligite ; in die autem septimo sabbatum est Domini, idecirco non invenitur. 27. Venitque septima dies, et egressi de populo ut colligerent, non invenerunt. 28. Dixit autem Dominus ad Moysen : Usquequo non vultis custodire mandata mea, et legem meam ? 29. Videte quod Dominus dederit vobis sabbatum, et propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices : maneat unusquisque apud semelipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. 30. Et sabbatizavit populus die septimo. 31. Appellavitque domus Israel nomen ejus Man : quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similia cum melle. 32. Dixit autem Moyses : Iste est sermo quem præcepit Dominus : Imple gomor ex eo, et custodiatur in futuras retro generationes, ut noverint panem, quo alii vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. 33. Dixitque Moyses ad Aaron : Sume vas unum, et mitte ibi Man, quantum potest capere gomor ; et reponere coram Domino, ad servandum in generationes vestras, 34. sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum. 35. Filii autem Israel comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem : hoc cibo aliti sunt usquequo tangerent fines terræ Chanaan. 36. Gomor autem decima pars est ephi.

VERS. 1. 4. VENIT OMNIS MULTITUDO FILIORUM ISRAEL IN DESERTUM SIN. — Est hæc octava mansio Hebræorum in deserto ; nam septima, quæ fuit ad mare Rubrum, reflexo ad illud itinere, ut patet *Numer. xxxix, 10*, hic omittitur, quia nihil peculiare in ea contigit.

Hoc desertum Sin est inter mare Rubrum et montem Sinai, estque diversum a deserto Sin (quod et Cades dicitur), de quo *Num. xx, 1*, et cap. xxxiv, vers. 3, ubi mortua est Maria, et petra percussa a Mose dedit aquas : nam nostrum Sin hic per *samech*, illud vero in Numeris per *teude* scribitur ; in illo fuit trigesima tertia mansio, in hoc vero octava.

Sin hebraice odium sonat, et symbolice significat, quod cum Deum vocentem in deserto sequimur, a mundo exeuntes, grande odium in nos concitemus inimici, puta diaboli et mundanorum hominum. Ita S. Hieronymus ad *Fabiolam*.

QUINTO DECIMO DIE MENSIS. — puta trigesimo die ab egressu ex Ægypto ; egressi enim sunt decimo quinto die mensis primi : decimo vero quinto die mensis secundi (qui Iar dicitur, et respondet nostro partim aprili, partim maio) in Sin venerunt. Pro quo nota, Hebræos habuisse men-

ses lunares ; lunaris autem mensis habet dies 29 cum dimidio : unde Hebræi primo mensi dabant 29 dies ; secundo vero mensi dabant dies 30, quia duo dimidii dies, qui utroque hoc mense exereverant, faciebant unum diem, puta tricesimum. Jam si primus mensis habebat 29 dies ; ergo a 15 die ad 29 et ultimum sunt 15 dies : his adde dies 14 mensis secundi, præcise pervenies ad diem tricesimum, quo Hebræi pervenerunt in Sin : et postredie, puta tricesimo primo die, cepit plueri manna, ut patet vers. 8 et 12. Ita Tornielius et Josephus, ut patebit vers. 2.

2. ET MURMURAVIT OMNIS CONGREGATIO FILIORUM ISRAEL. — cum jam farina subacta, sive pasta, quam ex Ægypto tulerant, deficeret ; illa enim duravit ad triginta dies, ait Josephus.

3. UTINAM MORTUI ESSEMUS PER MANUM DOMINI. — scilicet morte a Domino irrogata, sive naturaliter, sive violente.

QUANDO SEDEBAMUS SUPER OLLAS CARNIUM. — Alii vertunt, *juxta ollas carniarum* ; melius noster Interpretes vertit, *super ollas*. Notat hic Scriptura voracem ingluviem crasse plebis, quod, ut peccata herbas, ita hi ollis incuberent. Intuere hic exemplum et schema apostatantium : primo enim ten-

fatione pulsante, gratiæ etiam per miraculum acceptæ obliviscuntur, uti hic omnium plagarum et prodigiorum Ægypti obliviscuntur Hebræi ; *secundo*, prænit eos se Deum vocentem ex Ægypti, id est mundi, illecebris secutos esse ; *tertio*, de liberali Dei potestate desperant, ac demum, si possint, ollas suas repetunt.

CUR EDUXISTI NOS IN DESERTUM ISTE, UT OCCIDERETIS FAME? — Cur educendos nos in has angustias deserti coniecistis, ut ibi moriamur fame ? non enim aliter poterat eos Moses fame occidere. Hinc patet, verba activa Hebræorum, quale est occidere, non semper actionem physicam significare.

Vide hic silentium et patientiam jugem Moysi : hæc virtus Sanctos omnes exercuit et perfecit primo, Christum, qui in cruce pro suis crucifixoribus oravit : « Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt ; » *secundo*, Job, qui a demone et Chaldeis ac uxore, extrema passus dixit : « Nudus egressus sum de utero matris mee, et nudus revertar illuc ; Dominus dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum ; » *tertio*, David, qui persecutionem Saulis, Semei et Absalonis æquissime tulit ; *quarto*, S. Stephanum, qui pro se lapidantibus oravit, dicens : « Domine, ne statuas illis hoc peccatum ; » *quinto*, S. Paulum, qui ait : « Maledicimus, et benedicimus ; persecutionem patimur, et sustinemus ; blasphemamur, et obsecramus. »

Audi et Martyres. Busiris Ancyre sub Juliano Apostata in equuleo suspensus, manibus ad caput sublatis sua nudavit latera, et ad Præsidentem dixit : « Non opus est, ut liciores me in equuleum tollendo laborent ; ego enim absque ipsorum opera, quo vobis modo latera mea tortoribus præbere paratus sum. » Dixit et fecit ; nam cum latera ejus unguibus lacerarentur, manibus in celum sublatis Deo gratias egit : testis est Sozomenus, lib. V, cap. x.

Gensericus Christiano ligatis pedibus post terga quadrigarum currentium, per saxa et spinas raptari jussit, qui vale sibi invicem dicentes, aiebant : « Vale, frater, ora pro me, implevit Dominus desiderium nostrum ; taliter pervenitur ad regnum cælorum. » Ita Victor, lib. I *Wandal.*

Audi et Confessores. Demon Jacobi cremitæ magnanimitatem non ferens, minatus est se eum virga percussurum. Tum Jacobus : « Si tibi, inquit, permissum est a Deo, percutite, et plagam libenter accipiam, ut qui ab illo feriar. Si autem non sit tibi permissum, non percuties, licet milies insanias. » Testis est Theodoretus in *Vitis SS. Patrum*, vita 21.

Irene a Nicephoro servo suo imperio dejecta inquit : « Ego Deo acceptum fero quod me orphanam et indignam ad imperium evexit ; quod vero jam me deici permittit, meis peccatis ascribo ; in cunctis autem bonis et malis sit nomen Domini benedictum. » Ita Paulus Diaconus, libro XXXII.

Alfonso, Aragonum rex, a quodam qui in via præcedebat, ramo arboris demisso, graviter in oculo læsus, dixit : « Nihil profecto dolo, nisi percussoris dolorem ac metum. » Ita Panormitanus, lib. IV *Vite* ejus.

Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. ix et x, sic ait : « Si patientiæ incubabo, non dolebo ; si non dolebo, ulcisci non desiderabo. » Et cap. xv : « Sequester patientiæ est Deus. Si injuriam deposueris penes eum, ultor est ; si damnum, restitutor est ; si dolorem, medicus est ; si mortem, resuscitator est. »

4. PLUAM VOBIS PANES DE CÆLO. — « Panes, » id est manna : ex eo enim contuso tortulas panis faciebant, ut patet *Num. xi, 8*. Pro carne vero et ollis, ad quas anhelabant Hebræi, dedit eis Deus coturnices, vers. 8 et 13.

UT TENTEM EUM, UTRUM AMBULET IN LEGE MEA. — Humano more loquitur Deus : ipse enim homines tentat eos probando, et arcana eorum, ipsamque veritatem palam eliciendo. Verum non eo fine, quo homines : hi enim tentant ad hoc, ut sciant quod ignorant ; Deus vero cardiognostes omnium conscius, imo præcius tentat, non ut ipse, sed ut alii vel se, vel alios noscant. Tentavit ergo hic Deus obedientiam et temperantiam Hebræorum, solum manna eis dando ; tentavit et spem eorum, dum eis diurnum in singulos dies alimentum admensus est, præcepitque ne manna in sequentem diem reconderent (ad hanc enim legem, quæ immediate præcessit, maxime in hac tentatione respexit Deus), idque ut continuo et jugiter a Dei providentia pendere disicerent, de accumulanda annona non solliciti : quo modo et nos Christiani panem quotidianum in dies a Deo petere jubemur.

5. DIE AUTEM SEXTO PARENT QUOD INFERANT. — puta die veneris : die enim septimo, puta sabbato, jussit eos Deus quiescere ; unde in sabbato non pluit manna. Hinc colligit Origenes, S. Ambrosius, in I *Corinth. x* ; S. Augustinus, serm. 25 *De Tempore*, et Synodus Casariensis, quam refert Beda, epist. *De Celebr. Pascha*, diem quo primo pluit manna, fuisse dominicum : ab hoc enim dies sexta est parasceve, sive dies veneris ; sex ergo integris diebus continuo pluebat manna, scilicet incipiendo a die dominico usque ad feriam sextam inclusivo. Quo mystice et facile significatum est, diem dominicum a Christo et Christianis præferendum esse sabbato, ac die dominico panem cælestem in Eucharistia, Deique gratiam ad fideles descensuram.

Nota *parent quod inferant, q. d.* Die veneris condant partem mannae in tabernaculis suis, qua vescantur sequenti die sabbati : sabbato enim a labore colligendi, molendi et coquendi manna cessandum est. Unde et feria sexta dicta est parasceve a preparatione ciborum quæ illo die fiebat pro sabbato.

Tropologicæ, sex diebus vite nostræ cibaria

Exempla et gnomæ in litteris de attentio et pœnitentia.

Aliter tentat Deus. Aliter, homo.

Schemata apostatantium

comparanda sunt in septimum diem aternitatis, ut iisdem in aeterna quiete celestium vivamus. Ita Origenes, Rupertus et Cyrillus, lib. IV in Joannem, cap. II.

6. VESPERE SCIETIS, QUOD DOMINUS EDUXERIT VOS DE TERRA AEGYPTI, ET MANE VIDERITIS GLORIAM DOMINI, — quia vespere Deus dabit vobis coturnices, et mane manna, uti patet vers. 12 et 13, per quod agnoscelis gloriam Dei, id est, gloriosam potentiam et providentiam.

7. AUDIVIT ENIM MURMUR VESTRUM CONTRA DOMINUM, — contra se: honoris causa repetit Moses nomen Domini, ponitque absolutum pro reciproco.

Nota hic quam grave peccatum sit murmur populi contra magistratus: est enim contra Deum, qui eos constituit: hinc Deus alia peccata Hebraeorum in deserto fere dissimulavit: murmur autem peno semper illico punivit. Vide S. Gregorium, lib. XII Regist. epist. 31.

9. ACCEDITE CORAM DOMINO, — accedite ad columnam nubis, qua se Dei praesentia vobis exhibet, necdum enim fabricatum erat tabernaculum (cui columna haec postea incubuit), quod accessuri ad Dominum postea adire consueverunt.

Nota: Tribus locis Mosi, et subinde Hebraeis solitus est Deus loqui: Primo, in tabernaculo intra Sancta sanctorum, postquam illa fabricata sunt, idque Mosi, vel Aaroni soli, ut patet Exodi cap. XXV, vers. 22.

Secundo, apud ostium tabernaculi juxta altare holocaustorum, ut patet Exodi XXIX, 42.

Tertio, in columna nubis, ubiqueque illa foret, ut patet Psalm. XCIII, 7; Exodi XXXIII, 9. Ita Abulensis in Levit. I, 4.

10. RESPERERUNT AD SOLITUDINEM, — extra castra.

ET ECCE GLORIA DOMINI APPARUIT IN NUBE. — Gloria haec Domini erat splendor et augustum radiansque jubar, quo se quasi spectandam per angelum exhibebat majestas divina; splendor hic erat in nube, id est, in columna nubis, qua in medio castrorum quiescebat; sed justa ex causa subinde motabat se angelo impellente, uti fecit cap. XIV, 49, cum se inter castra Hebraeorum et Aegyptiorum interposuit. Ita et hic angelus in columna, quasi indignans manere cum populo ita murmurante, fugit extra castra ad solitudinem, eoque ad se evocavit et adduxit Moysen, ibique cum eo colloctus est, dicens: « Audivi murmuraciones filiorum Israel, » etc. Fecit hoc Deus, vel potius angelus vice Dei, ut populum murmurantem terrore et fulgore sui numinis compesceret; utque eum induceret ad Mosi credendum et parendum, utpote quem cum Dei majestate colloquentem, ab eoque edoceri et instrui credebant. Ita Lyranus, Abulensis et alii.

11. LOCUTUS EST AUTEM DOMINUS AD MOSEN — solum; nam Aaronem populum alloquente, solus Moses Dominum oraturus (ab eo facite evocatus)

ad suum secretum extra castra, scilicet ad columnam nubis, se receperat.

12. VESPERE COMEDETIS CARNES (coturnices), ET MANE SATURABIMINI PANIBUS, — manna. Allegorice significabatur hic vespera, id est, obscuritas legis carnes animalium immolans, transitoria mane in panem caelestem, id est Christum, qui lux et manna est mundi. Ita Cyrillus, lib. III in Joannem, cap. XXXIV, et Rupertus.

Secundo, ut Origenes et S. Augustinus, Quest. LX, significabatur, quod ad vesperam mundi Verbum caro fieret, moreretur et sepeliretur ex infirmitate; mane vero resurgeret ex virtute, suisque appareret discipulis cum eis vascens, eoque pasces.

13. FACTUM EST ERGO VESPERE, ET ASCENDENS COTURNIX OPERUIT CASTRA. — Ascendens, id est, veniens et advolans; « coturnix, » id est, coturnicum turba, idque flante vento, ut dicitur Psalm. LXXVII, vers. 26 et 27, qui eas dejiciebat, ut caderent in medio castrorum, ut patet vers. 28 Psalm. LXXVII. Haec coturnicum missio non duravit, ut manna, per 40 annos (ut dicitur vers. 33); sed tantum hoc uno vespere contigit, quo tamen in plures dies coturnices colligere et aservare poterant Hebraei. Post hanc ergo vesperam sequentibus diebus, nulla coturnices ad castra Hebraeorum advolarunt.

Nota: Bis dedit Deus coturnices Hebraeis, primo hic; secundo, Num. XI, 31, ad sepulchra concupiscentiae.

MANE QUOQUE ROS JACUIT PER CIRCUTUM CASTRORUM. — Hebraice est, mane fuit cubatio, aut stratum roris (1), q. d. Mane tota planities strata fuit et cooperta rore, ita ut ros illi quasi lecto incubaret. Ros hic erat manna, quod ros dicitur, quia rori et crystallinae guttae in coriandri seminis formam conglobatae erat simile. Ita Nyssenus, Philo, Josephus. Neque enim manna simile erat humori ruulento et liquido, sed coagulato et conglaciato; unde vers. 14 in similitudinem pruinae fuisse dicitur; erat ergo manna simile rori concreto, id est, granis grandinis, vel pruinae, quae frigore nocturno densante et dividente in parvula grana formatur: sic et nostrum manna (licet ab hoc caelesti longe diversum sit), quod multis in locis hodie in foliis virgultorum coalescit, et a medicis studiosae colligitur, atque a Galeno drosomeli et aeromeli, id est, mel roscidum et aereum dicitur (quod non est aliud, quam halitus aquae terraeque, solis calore exacte attenuatus et coctus, ad frigore secutae noctis in unum coactus densatusque), antequam sole cadente liquescat, speciem habet pruinae.

Aliter, scilicet proprie, rorem hic accipiunt Hebraei, Lyranus, Vatablus, Oleaster et Cajetanus; putant enim ipsi rorem simul descendisse cum manna, qui manna operiret; cumque mane ros

(1) Galli dicunt, une couche, un lit de rosee.

ad radios solis evanesceret, detegebat, et solum relinquebat manna colligendum ab Hebraeis: manna ergo tam superne quam inferne rore, quasi theca erat inclusum. Quam rem Judaei adhuc hodie mensae suae quodam indico representant, ponentes scilicet panem inter duo mensalia. Huic sententiae favet versio Chaldaei et Vatabli, qui vertunt, fuit operiutum roris, cumque ascendisset, id est, a sole absumptum fuisset et disparisset (et ut Septuaginta, καταρροήν, id est, cum quiescisset, hoc est, cassasset, inquit aliqui) ros, ecce in superficie deserti minutum quiddam et orbiculare apparebat.

Ex hac sententia, quae probabilis est, pulchram licet colligere allegoriam de Eucharistia: sicut enim ros hic tegebat manna, ita species panis tegunt corpus Christi; et sicut rore evanescente apparebat manna, ita species panis in Eucharistia per fidem abstractis, mans fidelis ascendit ad videndum et gustandum ipsum corpus Christi.

Verum huic sententiae repugnare videtur nostra versio, vers. sequenti, ubi plane hunc rorem explicat, dicitque fuisse ipsum manna: nam hebraicum וַיִּזְרַח וַיִּטַּל, id est ascendebat, quod alii interpretantur: In vapore evanescebat ad radios solis; noster Interpretes vertit: « Cumque operuisset superficiem terrae; » ascendebat enim operiendi terram: simili enim modo paulo ante dixit ascendisse coturnices et cooperuisse castra.

Secundo, sole calente liquescere et evanescebat manna, uti evanescere solet ros: unde ante solem primo mane manna colligere debebant Hebraei. Ergo non videtur verum, quod Hebraei dicunt, solem calentem absumpsisse rorem, et intactum reliquisse manna.

Tertio, ad quid hic ros texisset manna? manna enim in se mundum erat, nec superne a pluvia, nive et grandine (utpote Deo illa continente et averte) inquinari poterat longe ergo verius est rorem hunc non fuisse quid aliud a manna. Ita Abulensis.

Dices: Num. XI, 9, dicitur: « Cum descendere noctu super castra ros, descendebat pariter et manna. »

Respondeo, rorem ibi pro pruina sumi, quae non operiebat manna, sed illi substernebatur, ne manna terrae tactu foedaretur; unde Hebraei, Chaldaei et Septuaginta habent, ascendebat et man super eum, scilicet rorem, puta concretum, id est, pruinae jam dictam.

Notat Abulensis quod verisimiliter sic Deus depluebat manna: primo mittebat ventum, qui purgaret ab aquis, vaporibus et similibus rebus superficie terrae, ita ut nullae in eo aquae aut sordes manerent, quae manna maculata possent; deinde depluebat pruinae gelidam, et in grana formatam; denique super pruinae depluebat manna, ut patet Num. XI, 9.

Terra ergo erat quasi lectus, pruina sive ros

conglaciatus erat quasi linteamen mundum, cui incubabat manna. Unde in Hebraeo manna hic et Num. XI, dicitur cubare in terra et in rore, ita ut pruina haec sive roe inferne esset ipsi manna quasi velamen, sicut species panis in Eucharistia sunt velamen corporis Christi.

14. APPARUIT IN SOLITUDINE MINUTUM. — Hinc patet manna non pluisse in castris Hebraeorum, quia illa sordida erant; sed extra castra in deserto, sive in agro, ut dicitur vers. 23. Unde vers. 27 dicuntur Hebraei castris egressi, ut illud invenirent et colligerent in deserto.

MINUTUM ET QUASI PILO TUSUM, IN SIMILITUDINEM PRUINAE SUPER TERRAM. — Non quasi manna, cum e caelo descenderet, pilo tusum, et in pulverem ant farinam redactum esset: hoc enim postmodum faciebant Hebraei, terentes illud in mortario aut mola, cum ex eo tortas facerent, ut patet Num. XI, 8; sed « quasi pilo tusum, » id est, pili tonsione decoratum, et folliculis suis exutum, quasi dicit: Manna erat album instar tritici, cui vel pilo, vel mola cortex est ablatus: semper enim colore albo Scriptura commendat manna. Unde Numer. XI, 7, dicitur fuisse coloris bdellii. Hinc et Septuaginta pro pilo tusum, vertunt, λευκόν, id est album, et Chaldaei vertit, quasi decoratum, et hoc Hebraeo מְעֻשְׁפָּס mechuspaspas consonat. Licet enim nusquam alibi haec vox reperitur, tamen quia quadriliteram radicem habet, hinc de more ad trilateralis reducenda est, scilicet ad מְעֻשְׁפָּס chasofp, id est, denudare, decorare; unde mirum est recentiores mechuspaspas vertere, rotundum quasi caece divinae malint, quam S. Hieronymo, Septuaginta et Chaldaeo aliusque veteribus et doctissimis Hebraeis assentiri (1).

Porro Num. XI, manna in colore dicitur fuisse simile bdellio; bdellium porro est genus gummi, sive lacrymae peltidae. Unde Septuaginta vertunt, simile crystallo, q. d. Manna erat albicans ut crystallus. Hebraeo בְּדֵלָח bedalach, id est bdellium, Pagninus margaritam, alii onychen vertunt: quasi manna colore fuerit simile margaritae, vel onychi, id est, colore unguis. Tale enim est bdellium, praesertim Bactrianum, quod inter omnia est laudatissimum: auctor est Plinius, lib. XII, cap. IX, et Dioscorides, lib. I, cap. LXIX. Candidum ergo manna significabat Eucharistiam, in qua species panis alba candidum et immaculatum corpus Christi representant, et respici ipsa exhibent.

15. DIXERUNT AD INVICEM, MANU? QUOD SIGNIFICAT: QUID EST HOC? — Hinc Hebraice vocatum est man, et Chaldaice manna. Hebraeo man Vatablus vertit, donum. Cum enim, inquit, Hebraei proprium illi nomen indere non possent, genericum man, id est donum illi indiderunt, quasi (1) Michaelis, collato arab. chashif, utz, frustum glaciae, exponit, concrecens, nivis in rorem. Bis ergo idem dici videtur, imagine modo mutata, minutum, nivis simile, minutum ut pruina.

ind. que levit. 2. Agnom. Hebraei.

Fulchra allegoria roris in Eucharistia.

Negat alii, et veritas. Resp. Primo.

Secundo.

Tertio.

Manna nocturna quid?

An cum manna descendit, etc.

Manna substat in prima quasi in linteamine.

Vers. 14.

Candi-dum manna significat, licet candidas species, et candidum corpus Christi in Eucharistia.

Vers. 15. Man est manna quid? Prima sententia.

dicant man hu, id est, hoc ingens et celeste est donum, nobis a Deo promissum, vers. 4.

Secunda. Secundo, Oleaster man vertit, numerosum: radix enim מן mana significat numerare: unde mane, tekel, phares, Daniel. cap. v. vers. 23; magno enim numero et copia instar nivis depluebat manna.

Terria. Longius abit et aberrat Calvinus, qui man vertit, paratum; et Aben Esra, qui man vult esse vocem, non hebraeam, sed arabicam; non enim ab Arabibus, sed ab Hebraeis hic in deserto vocatum est man.

Quarta. Verum Septuaginta, Chaldaeus et Noster, Philo, Josephus, Origenes, Theodoretus, Cyrillus, lib. III in Joan., cap. xixix, et passim tam veteres, quam

recentiores man hu. Jplime et genuine vertunt, id est, quid est hoc? nam res tam insolita in Hebraeis ciebat admirationem, ut rogaret: Quid est hoc? idque sequentia indicant: « Ignorabant enim quid esset; » ubi pro quid esset, in Hebraeo est מן hu ma hu: unde factum est man hu addito num paragogico. Similis paragoce litterae tamed in eodem na interrogativo, est Isaia cap. iii, vers. 15: מללכם mallochem, quid est vobis? Paragoce vero nun est usitatio; nun enim passim nominibus Hebraeis additur, ut patet in corban, tschon, sculchan, nechustan. Denique Chaldaei pro ma dicunt man, id est, quis, quae, quid, ut patet Daniel. cap. iii et iv. Sic etiam Hebraei euphonice causa pro ma usurpant man, ut patet Psal. lx, vers. 8. Idem convincit responsio Mosis. Moses enim Hebraeis interrogantibus man hu, id est, « quid est hoc? » respondet: « iste est panis quem Dominus vobis dedit ad vescendum. »

Ver. 16. 16. COLLIGAT UNUSQUISQUE EX EO: — « unusquisque, » qui scilicet pane et solido cibo vescitur: neque enim lactentes et ubera sugentes comedebant manna. Ita Cajetanus.

GOMOR PER SINGULA CAPITA. — « Gomor » est choenix, puta mensura, quae per diem cuique ad victum suffiebat; unde dicitur gomor, quasi גמר gomor, id est manipulus, puta victus diurni, inquit Arias Montanus; vel, ut Vilalpando in Appar. templi, part. II, lib. III, cap. xii, gomor idem est quod usualis, a rad. גמר amar id est, uti alicujus ministerio, eo quod per quadraginta annos in deserto, haec mensura gomor maxime fuerit in usu ad metiendum manna. Erat gomor decima pars ephi (ut dicitur vers. 36), vel epha, id est, trium modiorum; ephi autem erat decima pars cori, sive homer (homer aliud est a gomor; gomor enim per ain, homer per chet, scribitur), ut patet Ezech. xlv, vers. 11; corus autem, sive homer continebat 30 modios: ita enim Noster interpret vertit, Levit. cap. xxvii, vers. 16, et alibi. Sic et Septuaginta, qui Ezech. cap. xlv, pro homer vertunt, szz artabas; artaba autem, teste Galeno, lib. De Mensuris, capit modios, id est, mensuras Italicas 5; sex ergo artabae sunt 30 modii.

Nota hic obiter: Tres amphorae, tres modii, tres

mensurae, tria sata, unus batus, unum ephi, haec omnia unum et idem sunt, inquit Lipomanus.

Josephus gomor vocat assaronem, id est, decimam, ita ut haec tria, scilicet gomor, assaron et decima idem sint. Assaron autem, ut Josephus ait, lib. III Antiq. cap. vii, septem continebat cotylas; cotyla vero 9 continebat uncias apud Aetios, inquit Thucydides apud Athenaeum lib. XI: quo computu gomor fuisset mensura continens 63 uncias, id est, quinque libras et tres uncias; sed in fine libri, in tract. De mensuris, ostendam gomor continuisse 8 libras, sive 96 uncias. Quae sane ingens erat portio, et cuique quantumvis avaro et edaci stomacho, etiam prisco illo et valido saeculo, sufficiens ad victum diurnum. Verum, ut notat Vilalpando, manna levioris erat substantiae, sed latioris magnitudinis, quam sit frumentum; unde ipse gomor manna plenum censet tantum panis praestitisse, quantum plenus frumentum cabus; cabus autem continebat 4 sextarios, de quibus in fine libri. Sic ergo gomor manna erant 4 circiter librae.

Nota: Deus hic de manna sex dat praecipia, totidem et assignat miracula.

Primum praecipitum est hoc versu, quo jubet ut Hebraei in singula capita colligant ex manna singulis diebus mensuram gomor, id est tantum quantum verisimiliter putant sufficere ad gomor complendum; unde alii aliis plus collegerunt, opinantes necdum se gomor collegisse: alii minus collegerunt, putantes se gomor collegisse, cum necdum illud integrum collegissent.

Aliqui putant (quod etiam probabilis esse censet Abulensis) id quod hic dicitur, de colligendo gomor pro singulis, non esse praecipitum datum Hebraeis, sed ordinationem circa ipsum manna, ut scilicet singuli ex eo quotidie haberent, et comederent unum gomor: putant enim ipsi Hebraeos, prout erant edaciores, vel minus edaces, plus vel minus collegisse ex manna, v. g. cui sufficiebat medium gomor, colligebat medium gomor; qui indigebat uno, vel duobus gomor, colligebat unum vel duo: sed cum quisque postea id quod collegerat mensuraret, omnes inveniebant unum tantum gomor, quia illis qui minus collegerant, Deus id quod collegerant, rarefacebat et elevabat ut impleret gomor; his vero qui plus quam gomor collegerant, condensabat et constipabat, ut gomor non excederet.

Haec sententia quoad posteriorem sui partem de rarefactione et condensatione manna ex parte vera est, uti mox dicam; sed priori ejus parti, quod scilicet aliqui studio colligerent medium tantum gomor, alii duo gomor, videtur adversari verba Scripturae hoc versu: « Colligat, inquit, unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita. » Ubi colligat est precipitans, pertinetque ad gomor: precipit ergo colligi pro quolibet gomor, non plus vel minus. Unde subdit: « Sic tolletis, » scilicet gomor in

Sex praecipia 4. 1. colligenda in manna. Primum praecipitum tantum gomor colligebant gomor, ancelo vel addecente residuum.

Primum miraculum, quod et tanta copia quotidie deplueret, quae tribus hominum millionibus alendis sufficeret, et quod singuli domum venientes, cum manna a se collectum metirentur, sive plus, sive minus collegissent, omnes tamen unum idemque gomor reperirent: angelo scilicet invisibiliter addente, si minus quam gomor; demente, si amplius collegissent: hoc enim exigunt expressa hic et deserta Scripturae verba, et S. Paulus, II Corinth. viii, citans haec ex Septuaginta: « Ut fiat aequalitas, inquit, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. »

Hinc sequitur omnes tunc quotidie ex manna comedisse unum gomor, ac consequenter unam eandemque cibi mensuram, scilicet gomor, tunc fuisse parvulis, viris, feminis, robustis, senibus, omnibusque Hebraeis: Deus enim cuique in stomacho et corpore ita concoquebat et disperiebat suum manna, suumque gomor, ut illud attemptaret vi nutritiva et nutritioni, ac viribus ejusque, ut aequaliter omnes satiaret; atque ex altera parte suppleret, si quod calori naturali, ac vi nutritiva ejuspiam deerat ad consumendum gomor, aut certe efficeret, ut manna in debili stomacho esset levis et facilis digestionis, in stomacho vero valentiore esset validius: sic enim, ut postea videbimus, manna cuique suum variabat saporem; quisque enim sapiebat in manna id quod volebat. Pari ergo modo videtur fecisse Deus, ut manna stomacho valenti saperet et ageret ut caro robusta porcina, bovina, etc.; in debili vero saperet et ageret ut caro vitulina, agnina, vel ut caro piscium, ut ova, ut lac, et ca.

Edem mensura cibi, scilicet gomor, erat viris et parvulis.

Manna pro stomacho enjuncto erat ut variis dicitur.

singula capita. Ergo quisque tantum colligere debebat quotidie, quantum sufficere putabat ad gomor implendum: die sexto vero pro eo, et pro sabbato, colligenda erant duo gomor in singulos homines, ut dicitur vers. 5 et 22: « Et mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus paraverat, reperit minus. » Putant Dionysius Carthusianus et Emmanuel Sa ex Hebraeis constitutos fuisse praefectos, qui collectum a quolibet manna metirentur, et cuique ex eo admetirentur gomor, ita ut ei qui plus collegerat quam gomor, illud plus adimerent, darentque ei, qui minus quam gomor collegerat. Verum hoc parum est probabile: nulla enim praefectorum hic fit mentio; illique suum hoc munus obeundo, Hebraeis, praesertim tenacioribus, adimendo partem suam collectae magnam murmuris et jurgiorum causam dedissent. Deinde Scriptura diserte ait eum, qui minus paraverat, non reperisse minus, quasi occulte, aut casu, non autem a iudicibus et praefectis datum sit illi aliquid additamentum; alias enim dixisset: Ei, qui minus paraverat, praefecti supplerunt et compleverunt suum gomor.

Dico ergo hoc esse primum, illudque ingens miraculum in manna, nimirum quod et tanta copia quotidie deplueret, quae tribus hominum millionibus alendis sufficeret, et quod singuli domum venientes, cum manna a se collectum metirentur, sive plus, sive minus collegissent, omnes tamen unum idemque gomor reperirent: angelo scilicet invisibiliter addente, si minus quam gomor; demente, si amplius collegissent: hoc enim exigunt expressa hic et deserta Scripturae verba, et S. Paulus, II Corinth. viii, citans haec ex Septuaginta: « Ut fiat aequalitas, inquit, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. »

Hinc sequitur omnes tunc quotidie ex manna comedisse unum gomor, ac consequenter unam eandemque cibi mensuram, scilicet gomor, tunc fuisse parvulis, viris, feminis, robustis, senibus, omnibusque Hebraeis: Deus enim cuique in stomacho et corpore ita concoquebat et disperiebat suum manna, suumque gomor, ut illud attemptaret vi nutritiva et nutritioni, ac viribus ejusque, ut aequaliter omnes satiaret; atque ex altera parte suppleret, si quod calori naturali, ac vi nutritiva ejuspiam deerat ad consumendum gomor, aut certe efficeret, ut manna in debili stomacho esset levis et facilis digestionis, in stomacho vero valentiore esset validius: sic enim, ut postea videbimus, manna cuique suum variabat saporem; quisque enim sapiebat in manna id quod volebat. Pari ergo modo videtur fecisse Deus, ut manna stomacho valenti saperet et ageret ut caro robusta porcina, bovina, etc.; in debili vero saperet et ageret ut caro vitulina, agnina, vel ut caro piscium, ut ova, ut lac, et ca.

Ita Nyssenus, Lyranus, Abulensis, Oleaster, Ca-

jetanus, Vatablus, S. Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus in II Cor. cap. viii, vers. 13. Quin et Hebraei, teste Genebrardo in Psal. lxxvii, vers. 20, tradunt manna fuisse cibum corporeum, qui in ipsis membris digerebatur (necdum in stomacho); unde non onerabat stomachum graveolens, nec caput fumis, non creabat excrementa, eratque facilis digestionis, ideoque erat typus cibi iustorum in futuro saeculo.

Crediderim tamen angelum in edacioribus condensasse ac constipasse manna in gomor; in senibus vero, parvulis et debilibus illud rarefuisse et extendisse: ita ut gomor horum minus haberet ex manna, illorum vero haberet amplius, itaque angelum ejusque stomacho et viribus mensuram hanc gomor accommodasse et attemperasse. Hoc enim magis naturale est: Deus autem parit miraculis, utiturque natura, cum ea sufficit, atque hoc videtur esse, quod subdit hic Moses.

18. SINGULI JUXTA ID QUOD EDERE POTERANT, CONGREGAVERT, — q. d. Quisque pro sua edacitate majus, vel minus aestimabat esse suum gomor, ideoque magis vel minus colligebat: sed cum postmodum id, quod collegerant, metirentur, singuli inveniebant unum gomor, quod singulis sufficiebat; ita tamen, ut angelus in his condensaret, in illis rarefaceret manna; quin et in his, qui nimis multum collegerant, occulte subtraheret, in aliis qui nimis parum collegerant, adderet partem manna. Rarefactio enim sola poterat quidem implere gomor, sed non ventrem, si is plus cibi caperet et appeteret. Ut ergo quantitas manna ejusque stomacho commensuraretur, opus erat subinde ut angelus ex ea vel demeret aliquid, si quis nimis multum; vel adderet aliquid, si quis nimis parum collegisset.

Porro causa, cur Deus singulis praescripserit idem gomor, fuit primo, ut avaritiam, gulam nimiamque cibi et rerum terrenarum curam haereticatione compesceret, ait S. Chrysostomus et Theophylactus in II Cor. cap. viii. Secundo, ut doceret quantum bonum in communitate sit aequalitas, puta equalis cibus, vestitus, labor, onus, etc.

Tertio, testari hoc continuo miraculo voluit Deus, suam cuique sufficientem victus mensuram a Domino paratam esse, etiamsi ex laboribus suis minus consequi posse videatur: ut, cum assidue mense, cogitemus Deum nobis plueri manna e caelo; sic enim et hodie non divitibus modo, sed et pauperibus, agris etiam et debilibus, insuperque multa prole oneratis, quotidianam tamen annonam quae satis sit viti omnium tenenda, Deus suppeditat, quae res consideranti mirabilis et incredibilis videtur, si censum et lucrum exiguum, quod faciunt, cum sumpto tanto, expensis tot capitum familiae conferat: ut vel ex hoc solo experimento colligere liceat suavem et miram Dei in omnes providentiam. Unde S. Chrysostomus, hom. 40 in I ad Corinth. : « Avarus, inquit, dives a paupere tantum differt curis, neglectu Del,

Manna qualisculi fuit?

Anzelus condensabat, et rarefaciebat manna.

Vers. 18.

Causa, cur Deus singulis praescripserit idem gomor, Primum. Secunda.

Tertio.

Cum assidue mense, cogita tibi Deum plueri manna.

Mira Dei providentia in alendis pauperibus.

corporis iniquatione, et animi perditione: nam ventrem uterque æque satiant. » Plura de hoc versu dixi *in Corinth.* cap. viii, vers. 43.

Allegorica causa fuit, ut idem gomor significaret eundem Christum, quem totum, quantum est, omnes comedimus in Eucharistia. Anagogice, idem gomor significat eandem deitatem, qua in solidum pascemur et fruemur singuli in celo, sed alii plus, alii minus saporis, dulcedinis, gratiæ et gloriæ ex ea haurient, sicuti ex eodem manna tunc, et ex eodem cibo nunc alii plus, v. g. pueri et iuvenes: alii minus, uti senes et debiles, nutriantur et reficiuntur.

19. NULLUS RELINQUAT EX EO IN MANE. — Est hoc secundum præceptum, ad incredulam avaritiam cohibendam eorum qui contra Dei voluntatem et jussum, de crastino sibi providere volebant: unde et postea puniti sunt; cepit enim manna servatum in sequentem diem scateri vermicibus. Atque in hac vindicta fuit pariter secundum miraculum; neque enim hanc fuisse naturam manna, ut postriede putresceret, quis dixerit, cum sabbato illesum servaretur id quod pridie collectum erat: sane nullum est granum aut farina, quæ tam cito putrescat. Ita Theodoretus.

21. COLLEGERANT AUTEM MANE SINGULI. — Innotuit hic tertium præceptum, ut scilicet quisque mane, antequam sol incallescere, colligeret manna, quia sole calente liquescebat: idque ut discerent Hebræi, non stertere, sed mane surgere ad orandum Deum, et ad parandum sibi victum: hoc est enim quod ait Sapiens, loquens de manna ad solem liquescente, cap. xvi, vers. 28: « Ut notum omnibus esset quoniam oportet prevenire solem, ad benedictionem tuam (ad te benedictionem et laudandum), et ad ortum lucis te adorare. »

CUMQUE INCALUISSET SOL, LIQUERIEBAT. — Est hoc tertium pariter miraculum, quod scilicet id quod ex manna manebat in agro, inquit Chaldeus, liquescebat, cum sol incallescere, id est, magis calefaceret (per hebraismum enim *cal* ponitur pro *hæpîl*, scilicet verbum neutrum, vel passivum pro activo), cum tamen idem manna collectum jam, ita durum esset domi, ut pilo et mola tunderetur, et igne non liquesceret, sed in tortulum formaretur, ut patet *Numer.* xi, vers. 8. Simile dat Cajetanus in ovo: « Sicut enim ovum, inquit, quamdiu est in gallina, tenerum habet corticem, qui statim genito ovo exsiccat, et fit durus: ita grana illa manna in loco, in quo formata erant, obnoxia erant liquefactioni; segregata autem duriscebant adeo, ut non essent amplius liquescentis nature: ita quod, sicuti sustinebant postea ignem, sustinissent etiam solem, si fuissent iterum exposita soli. »

Voluit Deus liquescere manna in agro, ne colestis ille cibus manens in terra putresceret aut calcaretur, itaque dehonestaretur et vilipenderetur. Rursum aliam causam dat Sapiens cap. xvi, vers. 27: « Quod, inquit, ab igne non poterat

extermiari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset quoniam oportet prevenire solem, ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. »

Hinc manna Hebræorum simile est manna Polonicum, quod in Polonia (Polonis omnibus attestantibus) mense junio et julio noctu depluit, herbisque instar roris incumbit. Hoc enim ante solis radios cribro colligunt, exeunt, tundunt, aqua miscent, pultesque conficiunt, uti fiunt pulles ex farina panici, v. g. tritici. Si enim sol incalcescat, folliculum dissolvit, itaque granum manna in eo inclusum in terram decidit et perditur; quod sane novum est et memorabile. Vidi ego grana, sunique instar milli, sed longiora et rubicunda; pultesque inde confectas gustavi: sapor est, qualis est pullis ex panico. Verum in eo manna hoc a manna Hebræorum differt, quod istud non omnino ad solem liquescat, sed tantum solvatur, ut granum vel semen in eo inclusum, quod durum est instar milli, decidat; manna vero Hebræorum totum ad solem liquescebat et evanescebat. Adde, manna Polonicum folliculo includitur; hebræorum vero erat sine folliculo quasi pilo tuisum, ut dicitur vers. 14.

22. IN DIE AUTEM SEXTA COLLEGERUNT CIBOS DUPLICES. — Est hoc quartum præceptum latum vers. 8, ut feria sexta duplum colligant manna, scilicet gomor unum pro feria sexta, et alterum pro sabbato, idque ad quietem et religionem sabbati commendandam.

Quartum pariter fuit hoc miraculum, quod scilicet feria sexta deplueret duplum manna, quasi duplum annonæ, quodque a collectione manna domum rediens quisque æqualiter duo gomor apud se inveniret.

ET NARRAVERUNT MOYSI, — se die sexto collegisse duplum manna, idque ad hoc, ut audirent et intelligerent quorsum hoc eis fuisset jussum: nec enim hic usque declaraverat Deus se ob sabbati religionem id prescriptis.

23. REQUIES SABBATI SANCTIFICATA EST DOMINO CRAS, — q. d. Cras est sabbatum sanctum, et dictatum cultui Domini: unde tunc ab omni opere quiescendum, Deoque vacandum est, ideoque jussi die sexta vos colligere et parare manna in sabbatum.

Hic primo videtur sabbati cognitio et religio renovata et restituta: unde et Philo asserit Hebræos, ignoratum a suis majoribus mundi natalum, quo hoc universum absolutum est, didicisse hoc miraculo, quo scilicet pridie sabbati depluebat duplum manna, durabatque in biduum, contra ac fibat cæteris diebus.

Renovata dico: nam sabbatum ab initio mundi institutum et cultum fuisse ostendi *Genes.* cap. ii, vers. 3. Ab origine ergo mundi institutum fuit festum et cultus sabbati; sed illud in Ægyptia servitute et idololatria Hebræorum plane fuit oblit-

Poloni- cum manna prodigio sum.

Vers. 22. Quartum præceptum: feria sexta colligatur duplum manna. Quartum miraculum: manna die sexta depluitur duplum.

Vers. 23. Sabbati restitutio in manna.

teratum; unde hic a Deo revocatur et restituitur. QUODQUON RELIQUUM FUIT, REPONITE USQUE IN MANE. — Scilicet unum gomor servate in sequens mane sabbati, puta, servate panem unius gomor, quem die sexta ex manna tuso et cocto confecistis; neque enim in sabbato manna tundere aut coquere licebat; poterant tamen integrum et incoctum manna servare et comedere sabbato, si vellent, uti comeduntur grana sacchari: docet hoc contra Eugubinum Lorinus noster in cap. xvi *Sapientia*.

31. APPELLAVITQUE DOMUS ISRAEL NOMEN EJUS MAN, QUOD ERAT QUASI SEMEN CORIANDRI, ALBUM, GUSTUSQUE EJUS QUASI SIRILE CUM MELLE. — Semen coriandri non est album, sed nigrum; ergo *album*, non ad coriandrum referendum est, sed seorsum per se sibi debet. Tria enim de manna hic dicuntur, primo, quod quantitate et figura fuerit simile coriandro, quia scilicet minutum et rotundum erat granum instar coriandri: ita Josephus; secundo, quod colore esset lucidum et album; tertio, quod sapore esset melleum, sape- retque ut similia mellita aut oleata.

GUSTUSQUE EJUS, QUASI SIMILE CUM MELLE. — Erat ergo manna simile grani sacchari, tum quoad colorem, tum quoad saporem, tum quoad figuram. Hic sapor ipsi manna erat quasi congenitus et naturalis, itaque sapiebat, si comedens nulum alium cibum vel saporem desideraret: si enim ipse aliud quid desideraret, mox id sapiebat in manna. Manna enim Dei dono et magno miraculo, omnem saporis suavitatem cuique exhibebat: hoc est enim, quod dicitur *Sap. xvi*, 20: « Angelorum esca nutritivi populum tuum, et paratum panem de celo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. Substantiam enim tuam (scilicet manna, quo sustentasti Hebræos) et dulcedinem tuam quam in filios habes, ostendebas; et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. » Unde et cap. xix, vers. 20, Sapiens in Græco manna vocat ambrosiam, quæ quasi delicatissima, fingitur a poetis deorum esse cibus. Aliqui putant id tantum visis piis et justis datum fuisse tanquam privilegium, ut scilicet manna saperet id, quod ipsi volebant; quod enim impiis et injustis id non acciderit, sed his saperit manna tantum, ut panis mellitus, vel oleatus, probatur ex eo, quod aliqui ipsi postmodum non murmurasent contra manna, nec petissent carnes, porros et pepones, manna, nec petissent carnes, porros et pepones, in ipso manna. Ita docent S. Augustinus, lib. II *Retract.* cap. xix, Abulensis, Lipomanus et alii.

Verum, quia Scriptura nullam hic facit distinctionem piorem et impiorum, sed absolute asserit manna exhibuisse cuique saporem, quem volebat; et quia cætera Dei beneficia, puta columna, coturnices, aqua ex petra, etc., in deserto tam impiis quam piis erant communia; et quia per

Figura color et sapor manna.

Manna sapiebat cuique id quod volebat.

Manna erat ambrosia. An solis iustus manna sapiebat id quod volebant?

Afferunt S. Augustinus.

Negant alii, et verius.

hunc saporem Deus volebat tam impios, quam piis vocare ab illis Ægypti: hoc est enim quod subdit Sapiens: « Ut scirent filii tui (populus tuus) quos dilexisti, Domine, quoniam non ad utilitatis fructus pascent homines, sed sermo tuus hos qui in te crediderint, conservat; » hinc verius videtur manna omnibus tam impiis, quam piis, sapuisse id quod quisque sapere volebat. Ita docent Hebræi, S. Chrysostomus, Nazianzenus et alii, quos citat et sequitur Lorinus in *Sap. xvi*, vers. 21.

Diets: Cur ergo nauseantur Hebræi super manna? Num. xi. Respondet Lorinus nauseam hanc et murmur provenisse, non ex nimia dulcedine manna, non etiam ex tedio unius ejusdemque per 40 annos cibi, sed ex eo, quod color, odor, forma, tenuitas, et similes aliæ qualitates eadem semper perseverabant in manna, quarum qualitatibus juvanda quadam diversitas aliecit magis gustatum: sic enim pueri aliqui gulosi non tantum ventrem, sed et nares, et oculos, et manus cibis implere satagunt; et hoc est, quod aiunt murmurantes: « Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo; nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man. » Petebant ergo varietatem et soliditatem ciborum aliorum. Addunt aliqui manna non tantum saporem, sed et substantiam ad volum comedendum mutasse: ita ut si quis vellet comedere ovum, gallinam, saccharum, manna mox verteretur vel in ovum, vel in gallinam, vel in saccharum, illudque putant significari illis verbis *Sapientia xvi*: « Ad quod quisque volebat, convertebatur, » græcè *μετατρέπετο*, id est, transtemperebatur, quasi in hoc manna fuerit expressus typus transsubstantiationis panis in corpus Christi in Eucharistia. Ita censent Gregorius de Valentia, tom. IV, disp. 6, *Quest.* III, punct. 2, § 4; Claudius de Sanctis, *De Euchar.* repet. 7, cap. III; Thomas Bozius, lib. XIII *De Notis Eccl.* cap. ult.; et Nicolaus Villagagnon, lib. III *Contra Calvinum* cap. LII.

Verum hæc sententia nova est, et solido caret fundamento: verba enim Scripturæ loquuntur non de substantiali, sed de accidentalii saporis conversione: aliqui enim non murmurasent Judei ob manna, Num. cap. xi. Atque hæc parte manna fuit typus Eucharistiæ, non quoad transsubstantiationem, sed quoad accidentium remanentium vim et efficaciam: ostendit enim sapor manna, quo pacto possent accidentia panis et vini remanere et nutrire sine illorum substantia: itaque implicite et consequenter sapor alius in manna typus quoque fuit transsubstantiationis. Sapor enim alius alium substantiam comitari et indicare solet.

Nota: Sapiens, uti et David *Psal. LXXVII*, 23, manna vocat panem angelorum, non comedentium, sed producentium manna ex materia ad id in nubibus disposita. Unde et « panem celi, » id est nubium, vocant, quia manna in nubibus for-

Manna ab inane manna?

Manna mutasse substantiam ad volum comedendum, ut esset typus transsubstantiationis, consentit aliqui.

Refulsantur.

Manna erat panis angelorum, quomodo?
 Manabat et e nubibus deplebat. Rursum manna vocatur « panis angelorum, » id est, panis delicatissimus, ita ut si comederent angeli, non alio panem quam manna vescerentur: sic lingue angelorum vocantur pulcherrime et elegantissime, I Cor. XIII, 1. Pro angelorum hebraice est מַנְיִן *mannim*, id est fortium, sive robustiorum, quod est epithetum angelorum qui fortitudine et virtute præcellunt hominibus. *Secundo*, « fortium, » quia per manna validi et fortes fiebant, sicut Eucharistia confirmat corda nostra in vitam eternam, Joan. VI.

32. IMPLE GOMOR EX EO, ET CUSTODIATUR IN FUTURAS RETRO GENERATIONES, — est hoc quintum præceptum, quo jubet Deus servari manna in perpetuum divine alimonie monumentum. Sic manna pluit Atrabati, quod etiamnum ibi asser- vatur et ostentatur, uti ipse vidi. Hinc eorum rhythmus:

Atrabati manna, Romæ pluit unctio sacra,
 Jerusalem sanguis: hæc sunt tris dona salutis.

Quintum pariter est hic miraculum, quod scilicet Deus tot sæculis manna hoc incorruptum servavit.

33. REFONE CORAM DOMINO, — coram tabernaculo et arca, cum illa edificata fuerint; est ergo prolepsis: in Sancto enim sanctorum repositum fuit manna in urna aurea, uti ait Apostolus, *Hebr.* cap. IX, vers. 4 (1).

34. SICUT PRÆCEPIT DOMINUS MOYSI, — puta mihi; est enallage personæ: loquitur enim Moses de se quasi de alio in tertia persona.

POSITQUE ILLUD AARON IN TABERNACULO ASSERVANDUM, — non jam primo hoc egressus ex Ægypto anno, sed multo post, fabrefacto tabernaculo: hoc ergo hic per anticipationem ponitur, ut omnia quæ manna tangunt, simul jungantur. Rursum posuit Moses manna in tabernaculo parvo, quod habebant Hebræi, autquam illud magnum et operosum jussu Dei construerent: tale enim tabernaculum eos jam tum habuisse patebit cap. XXXIII, vers. 7. Ita Lyranus et alii.

35. FILII ISRAEL COMEDERUNT MAN QUADRAGINTA ANNIS. — Sæptum hic innuitur præceptum colligendi manna in singulos dies et annos, idque continuo per 40 annos. Sæptum item hic exstat miraculum, quod tam vere, quam autumnus, tam æstate, quam hieme, singulis diebus per 40 continuos annos manna depleverit, donec Hebræi venerunt in Chanaan, ibique de frugibus terræ comederunt. Angeli ergo manna quotidie in nubibus, et materia ad id disposita naturaliter efformabant, quomodo in nubibus nix, grandis, imo et lapides generantur, quomodo et generatur manna medicum, quod tamen ab hoc nostro longe differt et distat: nostrum enim fuit mira-

(1) Vers. 33. Pro *cas* in hebraeo est nomen אֲנָשִׁים *anashim*, de quo Cf. *Hebr.* IX, 4.

culosum, ut patet ex dictis. Quare quod Josephus ait, suo tempore in eadem regione adhuc pluere manna, vel fabulosum est, vel de manna medico accipi debet.

An Hebræi in deserto alios cibos præter manna comederint, dicam *Deuter.* II, 6.

Nota: Manna allegorice significabat Christum in Venerabili Sacramento, ut patet *Joan.* cap. VI, vers. 49 et 50; maxime vero manna significabat rem contentam, et effectum Sacramenti, ut fuse in citatum locum Joannis docet S. Chrysostomus, Theophylactus et Cyrillus. Unde et Apostolus, I *Corinth.* X, ait: « Omnes eandem escam spirituales manducaverunt, et eundem potum spirituales biberunt, » quod de sacra coena etiam Calvinus accipit, dicitque manna fuisse typum corporis Christi, ex quo recte colligas in Venerabili Sacramento vere esse carnem Christi, siquidem manna rei vere existentis, non autem chimericæ, fuerit symbolum: alioqui enim tam nos, quam Iudei escam spirituales, id est, carnem typicam et symboli- cam, manducabimus, neque plus veritatis signifi- ficale habebimus, quam ipsi Judei, imo longe minus: manna enim sapidius erat nostro pane, et longo clarius representabat Christi corpus, quam aridus panis. Consequentiam hanc utpote claram, quidam nuper ex novo hoc grege Minis- ter concessit; sed quis non videt id repugnare et S. Scripture, et rationi? lex enim nova præstantior est lege veteri; ergo Sacramenta nova præstant veteribus; unde Apostolus ait: « hæc in figura facta sunt nostri; » Res autem figurata sua figura nobilior est: sicut corpus sua umbra, ac homo sua imagine nobilior est: ergo Sacramenta legis novæ, et præsertim Eucharistia, quasi res figurata, nobilior esse debet Sacramentis legis veteris, ipsoque manna quod tantum typus fuit et figura Eucharistiæ nostræ. Rursum *Joannis* VI, Christus disertissime corpus suum in Eucharistia præfert ipsi manna, vers. 48 et 58: « Hic, inquit, est panis qui de cælo descendit, non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt: qui manducat hunc panem (scilicet divinum, consecratum, et transsubstantiatum in corpus Christi), vivet in æternum. » Quod autem manna clarior representet Christi corpus, quam panis, quis non videt? id enim multis ostendi potest.

Unde nota secundo: Aptissime congruit manna cum corpore Christi in Eucharistia, illudque pulcherrime adumbravit. *Primo*, idem est color specierum Eucharistiæ, et manna. *Secundo*, sapor dulcis utriusque. Rursum, sicut dulcedo in manna erat abscondita, ita et sub speciebus panis absconditur Christus. *Tertio*, sicut relictis ollis ægyptiacis, et carnis voluptatibus invenitur aut sapit utrumque. *Quarto*, infidelibus et avariis in vermem et judicium vertitur utrumque. *Quinto*, manna non datum est nisi post transitum maris: Eucharistia non datur nisi post baptismum. *Sexto*, post manna Hebræi cum Amalec pugnarunt, cum

Manna servata in Eucharistia, ad 14 annos logias.

Ex manna colligitur in Eucharistia non esse panem, sed esse corpus Christi.

Analogia prima manna et Eucharistiæ. *Secundo*.

Quarta. Quinta. Sexta.

ante solus pro eis Deus pugnasset contra Ægyptios; pugnarunt, inquam, et vicerunt: sic vitæ celestis impedimenta et tentationes, quas non nisi solidioribus objici patitur Deus, Eucharistiæ virtute superantur. Quare S. Bernardus, serm. *De baptismo* in coena Domini habito, ait: « Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam, sepe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, etc., gratias agit corpori et sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. » Et S. Cyrillus, lib. IV in *Joann.* cap. XVII: « Eucharistia, inquit, sedat, cum in nobis maneat Christus, sevientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, nec in quibus peccatis simus considerat, sed egrotos curat, collisus redintegrat, et sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casti. » *Septimo*, manna panis erat absque semine, absque aratione, aut alio humano opere, ab angelis factus: sic Christi corpus ex sola Virgine, et Spiritu Sancti irratione, natum est. *Octavo*, manna Hebræis omnem saporis varietatem dabat. Unde *Sapient.* XVI, dicitur de manna: « Angelo rum esca nutritivis populum tuum; et paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem: ita et Christus parvulus est læs, infantibus olus, perfectis solidus cibus, ait Nye- senus. Et S. Cyprianus, tract. *De Coena Domini*: « Hic, inquit, panis omnium carnalium saporum irritamenta, et omnium exsuperat dulcedinum voluptates. Vide quomodo his, qui Christi commemorant passionem intra sacra officia, quasi per quosdam canales de interioribus fontibus egrediantur torrentes, et super omnes delicias lacry- mis nectaris anima delectetur; quantum suavitatem anime inquirenti tibi sit Deus suus, suspi- ratæ contemplationis eliciant. » Unde sequitur, inquit, « ut deinceps peccatorum pocula horreat, et omnis sapor delectamentorum carnalium sit ei quasi rancidum, radensque palatum acutè mordacitatis acetum. » Inde sequitur mentis jubilus et ebrietas, « ut Christum, inquit, ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta jubilatione consona laudes resonent, et gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum. Cum sopivit oblivio enucta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur. » Chrysostomus, homil. 24 in I *ad Corinth.*: « Hæc mensa, inquit, animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux, vita nostra. » *Nono*, manna erat minutum: Christus parva hostia est circumscriptus. *Decimo*, manna pilo tusum fuit: Christus pilo crucis mor- talitate exutus est. *Undecimo*, fideles admirandi manna: quid hoc, ut nobiscum sit Deus? exla-

Septima.

Octava.

Christus parvulus est læs, infantibus olus, perfectis solidus cibus.

Nota. Decima.

Undeci- ma.

mant. *Duodecimo*, omnes de manna æqualem mensuram, nimirum gomor unum colligebant: sic totum Christum æqualiter omnes recipiunt: et si species, sive hostia major sit, aut minor, ita Rupertus, *Decimo tertio*, sex diebus tantum colligebatur in deserto manna: sic in sabbato eternita- tis et in terra promissionis velamen sacramenti cessabit, Christoque facie ad faciem in summa quiete perfruemur. *Decimo quarto*, sole liquesce- bat manna: sic resolutis calore speciebus, Sacra- mentum dissolvitur, Denique S. Ambrosius, ser- mone 3, per manna putat figuratam fuisse B. Vir- ginem: hæc est enim mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra.

Tropologicæ, manna significat consolationes spiri- rituales dulcissimas, quæ percipiuntur in rerum celestium contemplatione, et in victoria tenta- tionum et concupiscentiarum, de quibus dicitur *Psal.* xxx, vers. 20: « Quam magna multitudo dulcedinis tue, Domine, quam abscondisti fimen- tibus tuis » et *Apoc.* cap. II, vers. 17: « Vin- centi dabo manna absconditum. » Est enim hæc consolatio prælidium et prægustus quidam eter- næ beatitudinis. Hoc manna non datur nisi ex- eunti ex Ægypto, et ollas carnum relinquunt, ac vincenti suas concupiscentias: vincenti enim pro- mittitur a S. Joanne, et a Christo Domino. Unde solet secuturæ consolationis tentatio precedens esse signum: nam tentatione probatis cælestis promittitur consolatio. Experientia constat neminem heroice vincere aliquam tentationem, infirmitatem, contemptum sui, concupiscentiam, cu- riositatem, morbum, voluptatem, etc., quin mox sentiat miram animi voluptatem et gaudium, quod longe tristitiam adversam, æque ac delicias con- cupiscentiæ superat. Experiatur quisque in seip- so, et sentiat ita esse.

Ita S. Joannes, qui Theodosio Imperatori victo- riam contra tyrannos prædixit, seipso abnegato et sui oblitus, scrutabatur coelestia, uni Deo as- sistens, cum eo versans, eumque assiduis hym- nis celebrans, ut in cælo esse videretur. Unde ipse de se loquens apud Palladium in *Louisiana*, cap. XLVI: « Novi, inquit, ego hominem in soli- tudine, qui decem annos cibi terreni nihil gusta- vit, sed et angelus tertio quoque die celestem cibum ad eum afferrebat (en manna), et ei in os injiciebat: isque erat ei instar cibi et potus. » Rursum Palladius de alio Joanne cap. XVI, ita scri- bit: « Joannes primum stans tres annos sub quadam rupe, orans perpetuo, non sedens omnino, non dormiens, nisi quantum somni stans suffuraba- tur, et Dominica solum sumens Eucharistiam (en manna) afferente ei presbytero, nihil aliud comedeat. » Et cap. LVIII, Abbas Anuph. de se ait: « Ex quo Servatoris nomen professus sum, humani cibi nihil sumpsi, alente me quotidie angelo; nullius alterius cupiditas in cor meum ascendit, præterquam Dei: nihil ex rebus terrenis occultavi mihi Deus: omnem petitionem a Deo accipi.

Du-deci- ma.

Decima- tercia.

Decima- quarta.

Manna est B. Virgo.

Manna sunt con- solatio- nes spiri- tales.

Vidi saepe assistentes Deo myriades, vidi choros justorum, vidi Martyrum congeriem Deum laudantium, vidi justos letantes in aeternum. » Haec et multa alia narrans, tertio die tradidit animam Deo; quam Abbas Paulus ejusque socii viderunt ab angelis hymnos canentibus, atque a Martyribus in caelum sustollis.

Anagogice. manna significat ambrosiam Beatorum, et inenarrabilem eorum in caelis felicitatem, jucunditatem, gaudium et dulcedinem. Gloriosa enim dicta sunt de te, o civitas Dei, sicut letantium omnium habitatio est in te. » Ibi, inquit S. Gregorius in *Psal.* vii poenit., est lux sine defectu, gaudium sine gemitu, desiderium sine poena, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas

sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Perfecta viget in omnibus charitas, una omnium laetitia, una jucunditas. » Et S. Augustinus: « In civitate Dei, ait, rex est veritas, lex charitas, dignitas aequitas, pax felicitas, vita aeternitas. » Et S. Bernardus, *De Praemio patr. caelst.*: « Praemium est videre Deum, vivere cum Deo, vivere de Deo, esse cum Deo, esse in Deo, qui erit omnia in omnibus. Et ubi est summum bonum, ibi est summa felicitas, summa jucunditas, vera libertas, perfecta charitas, aeterna securitas, et secunda aeternitas: ibi est vera laetitia, plena scientia, omnis pulchritudo, et omnis beatitudo. Ibi est pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor et dulcis concordia. »

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

In siti murmurat populus: unde Moses jussu Dei percussit petram in Raphidim, ex ea elicit aquas. Secundo, vers. 8, Amalec invadit Hebraeos; sed cecidit cum Josue, orante Moese.

1. Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. 2. Qui jurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? 3. Sitivit ergo ibi populus prae aquae penuria, et murmuravit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Aegypto, ut occideres nos, et liberos nostros, ac jumenta siti? 4. Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululum, et lapidabit me. 5. Et ait Dominus ad Moysen: Antecedite populum, et sume tecum de senioribus Israel; et virgam qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, et vade. 6. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb; percussisque petram, et exibit ex ea aqua, ut bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israel; 7. et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium filiorum Israel, et quia tentaverunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non? 8. Venit autem Amalec, et pugnabat contra Israel in Raphidim. 9. Dixitque Moyses ad Josue: Elige viros, et egressus, pugna contra Amalec: eras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. 10. Fecit Josue ut locutus erat Moyses, et pugnavit contra Amalec: Moyses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis. 11. Cumque levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. 12. Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit; Aaron autem et Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis. 13. Fugavitque Josue Amalec, et populum ejus in ore gladii. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monumentum in libro, et trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub caelo. 15. Aedificavitque Moyses altare, et vocavit nomen ejus: Dominus exaltatio mea; dicens: 16. Quia manus solii Domini, et bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

Part. 1. 4. PER MANSIONES SUAS. — H. br. per suas profectio- nes vel itinera, id est, terminos itinerum, hoc

est, mansiones sive stationes, quae in deserto universim fuerunt 42, aequae omnes ordine recen-

sentur *Num.* xxxviii; nam alioqui tota Exodo, Numeris (excepto capite xxxv) et Deuteronomio tantum numeratur quindecim mansiones: Mosi enim non fuit animus in historia sua eas omnes enumerare, sed eas tantum, quae aliquo casu vel gesta fuerunt memorabiles. Sic omittit hic duas mansiones, scilicet nonam, quae fuit in Daphca, et decimam, quae fuit in Alus: nam undecima fuit in Raphidim, de qua hic sequitur; has ergo duas fuisse interjectas, easque hic omitti insinuat Moses, cum ait eos per mansiones suas venisse in Raphidim.

Juxta sermonem Domini. — Hebraice est, *juxta os Domini*, indicantis scilicet non voce sonora, sed motu columnae nubis, quando et quo movenda essent castra. Id patet *Exodi* cap. ult., in fine, et *Numer.* ix, 18, ubi Hebraei « ad imperium Domini, » vel, ut hebraice est, *ad os Domini*, profecti dicuntur, quia ad motum columnae proficiscebantur, uti ibidem explicatur.

CASTRAMETATI SUNT IN RAPHDIM. — Undecima haec mansio fuit juxta montem Sinai, in qua petra dedit aquas, et vietus est Amalec: hic locus dicitur quoque est *Mossa*, id est *tentatio*, ex tentatione et murmure Hebraeorum, vers. 7.

2. CUR TENTATIS DOMINUM? — Cur diffisi de Dei protectione et ope, quam toties experti estis, rursum per miraculum discere vultis sitae Deus in vobis? ut patet vers. 7, q. d. Non murmurando, sed orando, et firmiter sperando in Deum, ab eo cum humilitate poscite aquas; nec dubitate quin ipse de more succurrat sili vestrae.

3. SUME VIRGAM, QUAE PERCUSSISTI FLUVIUM, — per manum fratris tui Aaronis, cum fluvium Nilum vertit in sanguinem, cap. vii, vers. 30. Ita S. Augustinus, *Quest.* LXIV. Alii per fluvium intelligunt mare Rubrum quod Moses virga sua divisit. Verum mare non est fluvius.

6. EN EGO STABO IBI CORAM TE, SUPRA PETRAM HOREB. — « Stabo, » scilicet in columna nubis quam defigam supra petram Horeb, q. d. Ego ero praesens per columnam nubis, atque educam aquas ex petra Horeb, ut ex his bibat populus sitiens, itaque cesset a murmure. Septuaginta vertunt: *Ego sto priusquam tu*, vel, *antquam tu venias*. Hebraicum enim לפניך *lephanea* verti potest tam, *ante te*, quam, *coram te*, q. d. Antquam tu venias ad petram, ego jam ibi consisto paratus ad tuam opem, et ad miraculum, ut scilicet ex ea vobis aquam eliciam.

PETRAM HOREB. — Horeb est Sinai; erat ergo petra haec in deserto Sinai, unde dicitur petra Horeb, vel Sinai; erat tamen eadem vicinior Raphidim, quam monti Sinai; nam in Raphidim hinc contigerunt, ut patet vers. sequenti: necdum enim pervenerant Hebraei ad montem Horeb, vel Sinai; eo pervenerant mansio seq., quae fuit duodecima: illa enim fuit in Sinai.

ET EXIBIT EX EA AQUA. — Petram hanc adhuc perdurare, et assidue fundere aquas tradunt Cos-

mographi, inquit Abulensis, de quo plura *Num.* xx, vers. 8 et 11. Imo addit Abulensis in *Num.* cap. xx, Quest. III, Arabiam ex hac aqua et petra Moysi perennante, factam esse habitabilem, cum antea ob nimiam siccitatem esset inhabitabilis. Idem censet Gaspar Sanchez in *Isaia* cap. xliii, n. 28.

Allegorice, petra est Christus, I *Cor.* x, 4; virga percussit petram est crux, qua percussus Christus vulneratusque aquam, id est sanguinem, pro nobis dedit, et in Eucharistia omnibus bibendum reliquit. Ita Theodoretus. Et S. Ambrosius, lib. V *De Sacramentis*, cap. 1: « Vide, ait, mysterium: Moses, hoc est Propheta; virga, hoc est verbum Dei: sacerdos vero Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei, qui gratiam Dei consecutus est. » Secundo, Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. ix, per aquam intelligit baptismum, cujus virtus manat ex cruce Christi. Tertio, Isidorus et Rupertus per aquam intelligunt gratiam et Spiritum Sanctum ejusque dona.

Pulehre de hac petra mystica S. Bernardus, serm. 61 in *Cant.*, ad illud *Cant.* ii, *Columna mea in foraminibus petrae, in cavernis maberis*: « Hec, inquit, audit sponsa, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, et jugi meditatione demoretur in illis. Inde martyrii tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum; non est quod veretur Martyr ex sanguine nudamque levare ad eum faciem, cujus livore sanatus est: enimvero sua non sentit vulnera, dum illius intuebitur. Stat Martyr tripudians, et triumphans, toto licet laqueo corpore; et rimante latera ferro non modo fortiter, sed et alacriter sacrum et carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu. In petra habitans, quid mirum, si in modum petrae duraverit? neque hoc facit stupor, sed amor; submititur enim sensus, non amittitur; nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra est Martyris fortitudo, jucunda non minus imperatori spectanti, quam militi triumphanti. »

Idem Bernardus, serm. 66 inter parvos: « Quod, inquit, de ipso fonte virtualis (id est, de spiritu Dei) hauriantur aquae presidiis in tormentis, ostendunt et illi tres pueri in fornacis aestuantis incendio positi, quibus ipsa flamma refriguit; et praecipue inelytus ille Martyr Vincentius, qui cum graviter torqueretur, non solum tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur, his verbis: Insurge, et toto malignitatis spiritu debacchare; videbis me Dei virtute plus posse, dum torquor, quam possis ipse, qui torques. »

7. ET VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, TENTATIO. — Hebr. *vocavit nomen loci illius, massa umberba*, id est tentatio et contentio, sive jurgium. Hujus ingratitudinis Hebraeorum pariter ac loci crebra est mentio in Scriptura, ostendens quantum ea Deo displicuerit, ut *Deut.* vi, 16, *Ps.* lxxvii, 18, *Ps.* xcvi, 8, et *Ps.* cv, 14. Porro haec non est aqua contra-

Fortitudo Martyris est ex vulneribus Christi.

Veri. 8. Amalec fuit filius Eliphaz, nepos Esau.

Causa belli Amalec fuit aversionem Esau contra Jacob.

Tropologia. Amalec aut tentationes carnis.

dictionis, de qua Num. xxxiii: illa enim post transitum Sinai in trigesima tertia mansione apud Cades fuit.

8. VENIT AUTEM AMALEC, ET PUGNABAT CONTRA ISRAEL IN RAPHIDIM. — Amalec, id est, Amalecitas, quorum rex, vel princeps dicebatur Amalec, quia prognatus erat ex Amalec filio Eliphaz, et nepote Esau, Genes. xxxiii, 16: sicut reges Aegypti dicti sunt Ptolemæi, a primo rege Ptolemæo, Lagi filio. Amalecitarum regio fuit in deserto, ad meridiem Judææ, trans Palram urbem euntibus Ailam, ait S. Hieronymus in *Lectis Hebraicis*.

Causa belli Amalec videtur fuisse antiquum et paternum odium Esau et posterorum ejus contra Jacob eisdemque posteris, ob præcepta sibi suisque primogenita, et ob præceptam patris benedictionem. Timebant enim sibi Amalecitas a tanto exercitu Jacobeorum, verebanturque ne jam impleretur illa benedictio, quam Jacob fratri suo Esau parenti ipsorum eripuerat, Genes. xxvii, 29. Videbant enim Jacobæos cum tanta amatorum manu ad terram promissam tendere; occurrunt ergo illis, ut transitum eorum impediant, belloque rem decernant.

Tropologie, Amalec hebraice idem est, quod populus lingens: hic primo occurrit Israeli, quia is, qui ex carne et mundo ad Deum egrediuntur, primi hostes occurrunt carnis libecccæ et blandimenta; ab his enim primæ oriuntur tentationes, cum quibus cominus cum Josue, id est cum Jesu Christo, ejus et Sanctorum abstinendam et continentiam intendo, atque cum eo reipsa carnem macerando, corporis castigatione et mortificatione pugnandum est; eminens vero oratione certandum est, quam sustineat montanus Aaron (Aaron hebraice montanum significat), id est Christus, et heros Hur, id est robor Spiritus Sancti. Ita Rupertus et S. Gregorius, lib. VI in *lib. Reg. II*.

11. COMQUE LEVARET MOYSES MANUS, VINCEBAT ISRAEL: SIN AUTEM PAULULUM REMISSET, SUPERABAT AMALEC. — Hoc symbolo significabat Deus, Hebræis victoriam hanc non imbelli suorum turbæ, sed Deo in caelis habitanti tribuendam esse: ideo enim in cœlum manus porrigebat Moses, ut Deum victoriam datorem invocaret. «Stabat, ait S. Chrysostomus, homil. *De Mose* (si tamen is est auctor tam Latini sermonis), Moses in monte proximus jam cœlo, jam vicinus sideribus. Et quanto eum sublimitas montis extulerat, tanto oratio Deo proximam exhibebat. Oratio in ultionem inimici dirigitur, cujus scelera jam interitum provocabant, etc. Quis enim justorum non orando pugnavit? Quis hostem non orando devicit? Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, ferre hebescent, cadunt hostes, inimici vincuntur. Licet colloqui cum Deo orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas. Et quanvis vocem ejus audire non possis, tamen dum id quod petis accipis, colloqui tecum etsi non verbis, tamen beneficiis dignatur.»

Secundo, voluit hoc symbolo Deus significare vim orationis; nam «oratio, inquit S. Augustinus, oranti est presidium, Deo sacrificium, demoni flagellum.» Elevatio enim manuum contentionem orationis, remissio manuum remissionem orationis adunibrabat. Et vero Moses vegetus et alacer elevans manus, cum iis pariter et mentem elevabat et intendebat in Deum: cum vero lassus et fessus remittebat manus, cum iis pariter remittebat animum et orationem. Cur orantes levant manus, septem, causas assignavit I. Tim. ii, 8. Videtur autem Moses levasse et extendisse manus junctas, ita ut vasa una alteram, qua virgam tenebat, complecteretur; nec enim virgam, utpote pastorilium et grandem unica manu tandi in altum elevatam tenere potuisset. Virga hæc significabat crucem Christi: unde Patres docent Mosen hic crucis Jesu habitum et typum gessisse. Ita Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. xviii; Cyrillus in *Collecta*, cap. xvi; Cyprianus, lib. II *Testim.* cap. xxi; Justinus, *Contra Tryphonem*, post medium; Prosper, I part. *Prædic.* cap. ult. Denique de hac oratione et victoria Mosis pulchram habet homiliam S. Chrysostomus, serm. *De Mose*, tom. 1.

Mosis exemplum secutus est S. Gregorius Thaumaturgus, Episcopus Neocesarensis. Serviente enim persecutione, ipse pro suis civibus et Martyribus cum tyranno depugnantibus oraturus, in montem cum diacono ascendit, ibique extensis manibus oravit. Insecuti sunt eos persecutores, sed eos videntes non agnoverunt: putarunt enim se non duos homines, sed duas arbores videre. Testis est Nyssenus in ejus Vila, qui post hæc subdit dicens: «Sicut Moses, cum procul abesset ab acie Amalecitarum, per orationem popularibus vires contra hostes iniecit: ita ille (Gregorius) quasi animi oculis intueretur ea que fiebant, divinum auxilium pro iis qui nomine fidei decertabant, invocabat.» Narrat deinde orationis fructum, ejusque illustre exemplum: «Cumque, inquit, aliquando Deum precaretur, repente angore percelli, et veluti sono quodam ad aures ejus pertingente, aures admovere videbatur: ac postquam ita multo tempore erectus et immotus permansisset, deinde quasi propositum spectaculum bonum eventum habuisset, ad statum pristinum rediit, et clara voce Deum pro victoria laudavit, dicens: Benedictus Deus, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum. Cumque familiares rogarent quid vidisset, dixit magnam se in illa hora vidisse ruinam, diabolo ab adolescente quodam nobili, in certaminibus pro pietate susceptis devicto. Adjectit et nomen, Troadium cum nominans: et quod post multa tormenta, quæ fortiter toleravisset, martyrii corona redimitus esset; obstupefactus his auditis diaconus, cum deinde in urbem perxisset, rem prorsus eodem momento et modo, quo narraverat Gregorius, evenisse comperit.»

Moses hic vixit et moratus est in monte Sinai.

Moses genuit quem dicitur crucis.

S. Gregorius Thaumaturgus.

Moses hic vixit et moratus est in monte Sinai.

Moses genuit quem dicitur crucis.

S. Gregorius Thaumaturgus.

Symbolice, Moses hic typus fuit vite contemplative, Josue active: quodque hæc ab illa differit, omnemque suam vim et energiam, ac victoriam contra passiones cunctosque hostes trahere et haurire debeat: Se enim Josue vires pugnandi et vincendi hausit ab oratione Mosis.

In *Vitis Patrum* lib. VII, cap. xviii, simile datur schema in duobus sanctis monachis, quorum unus erat Arsenius solitarius, taciturnus et contemplativus; alter Moses, familiaris, benignus et beneficus in omnes. Cumque quidam Deum rogaret, ut sibi revelaret utri esset sanctorum et perfectior: «Eccc in extasi dum illi naves per fluvium ostense sunt, et in una quidem vidit Spiritum Sanctum cum silentio et requie, una cum Abbate Arsenio navigantem; in altera vero navi vidit Abbatem Mosem et angelos Dei, mel et favum in os, et in dentes ejus inserentes.»

12. MANUS AUTEM MOYSI ERANT GRAVES, — q. d. Manus Mosis utpote senescentis tum per se erant graves, tum extensione diuturna in altum lassate degravabantur: ideo Mosen super lapidem sedere fecerunt, ejusque manus sustentarunt Aaron et Hur; non dubium, quin et hi cum Mose precante precati sint. Josephus hunc Hur tradidit fuisse maritum Mariæ sororis Mosis; sed Scriptura magis innuit Mariam virginem fuisse quam nuplam, ut dixi cap. xv, vers. 20.

ET FACTUM EST UT MANUS ILLIUS NON LASSARENTUR USQUE AD OCCASUM SOLIS, — Hebraice est, fuit manus ejus firmitas sive stabilitas, id est, ut Chaldaeus, fuerunt manus ejus firmiter extensæ in oratione; quia, ut Septuaginta vertunt, fuerunt manus ejus sustentate; scilicet ab Aaron et Hur.

Symbolice Philo: «Hominis, inquit, mali actiones subventanæ levesque sunt; Mosis vero, id est sapientis, graves sunt et inconcussæ, ideoque fulciuntur ab Arone, id est, a ratione, et ab Hur, id est, a lumine, hoc est a veritate; quasi dicat: Sapientis actiones fulciuntur ratione et veritate, præsertim ea qua attente considerat res divinas et æternas.

Addit Philo, non natura, sed prodigio immisam fuisse manibus Mosis nunc levitatem, nunc gravitatem, additque: «Quoties, inquit, degravabantur manus Mosis, prævalebat hostilis acies, Deo significante; quod alterorum propria hæreditas sit terra, mundi pars infirma; alterorum ather sacratissimus, et sicut in rerum universitate cœlum est terra potius, sic etiam populum suum bello superaturum adversam aciem.» Denique concludit: «Cum igitur aliquantisper manus bilancis in morem, nunc sursum tollerentur, nunc deorsum vergerent, certareturque Marte dubio; tandem repente velut pennas habentes pro digitis, sublatae volitabant per aerem manentes in sublimi, donec Hebræis certa victoria contigit, hostibus intereccione deletis.» Verum hæc non satis consonant narrationi S. Scripturæ, quæ

non miraculo, sed per Aaron et Hur manus Mosis sustentatas fuisse asserit.

13. FUGAVITQUE JOSUE AMALEC, ET POPULUM EIUS, VERA 18. IN ORE GLADII. — Pro *fugavit*, hebr. est *וילקח יחאלוס*, id est, debilitavit, dejecit, prostravit, profligavit, hoc occidendo, illos in fugam agendo; inde enim *וילקח* *chatus* lassum, debilitatum, dejectum significat.

Narrant, vel potius more suo fabulantur Judæi, Amalecitas incantationibus suis voluisse volare, itaque involare et irruere in castra Hebræorum; sed Josue ostenso Dei nomine telegrammatu eos prostravisse. Josephus asserit plane inuentum Hebræis fuisse hanc victoriam, nemine ex ipsis desiderato. Hic primum invenitur nomen Josue; unde cum hoc loco ex hac victoria, pro Hosæ vocatum esse Josue; q. d. «Salvator populi,» censent Origenes, Lactantius et alii, de quo plura *Numer.* cap. xiii, vers. 17.

IN ORE GLADII, — in acie gladii: ita enim vertit noster *Interpres ad Hebr.* cap. xi, vers. 34: acie gladii, unde gladius bieps dicitur *δύεως*, quasi habens duo ora, id est, duas acies, ad *Hebræos*, cap. iv, vers. 12. Hinc quia acies gladii, utpote acutissimo, quidquid percussit id penetrat, secat vel occidit, ideo cum in Scriptura dicitur: «Perussit eos in ore gladii,» communiter significatur, quod eos deleverit usque ad intereccionem; scilicet enim et Galli de strage interecciona dicunt: *Il les a passés au fil de l'épée*. Ita Vatablus.

Secundo, «in ore gladii,» id est, in devoratione, vel consumptione gladii: unde Septuaginta vertunt *ἐν φόνω μάχης*, in occasione gladii, ut sit duplex figura: prior, qua os ponitur metonymice pro comestione, quæ ore fit; posterior, qua comestio animalis metaphoricè tribuitur rei inanimæ, scilicet gladio interimenti: sicut enim nos comedimus panem, ita bellum et gladius devorant homines. Unde Hebræi bellum vocant *מלחמה* *milchama*, id est comestione, q. d. Fugavit Josue Amalec per occisionem gladii, sive gladio occidente hinc inde eum persequens.

Tertio, Franciscus Ribera in *Osee* cap. x, num. 37: Os, inquit, in Scriptura sæpe pro voluntate accipitur; sic *metere in ore misericordiam*, id est, metere ad voluntatem misericordiam, quantum misericordia voluerit, id est, metere largissime. Sic *percutere in ore gladii*, est omnes occidere, et nemini parcere, quod est, percutere quantum gladius percutere velit; quasi dicat: Perussit eos in ore (in voluntate gladii), id est, percussit eos ad satietatem, ad libitum, ad voluntatem, ad imperium gladii, tot percussit quot libuit gladio et gladiatori percutere.

14. SCRIBE HOC OB MONUMENTUM IN LIBRO, ET TRADE AURIBUS JOSUE, — q. d. Scribe in chronicis, et indica Josue, ut ipse sequentibus se populi decibus et judicibus, et hi sequentibus indicent voluntatem et decretum Dei de peragenda vindicta, deque delendo Amalec, idque, donec sur-

Os gladii est acie gladii.

Secundo, os gladii est devoratio gladii.

Tertio, os gladii est voluntas vel libitum gladii.

ga ille ipse dux, vel rex Saul, qui hanc vindictam...

DELEBO ENIM MEMORIAM AMALEC SUB COELO. — Hebraice est, delendo delebo, id est, funditus et omnino delebo...

Commentum Judaeorum de zachar et zecher.

Quam grave sit Novitas et ibi avertere.

Vers. 15.

Altaria Mosaicum tripliciter.

Porro tulit Deus in Amalec tam severam sententiam, eo quod Amalecites tam immani bello appetissent innoxios vacillantesque Hebraeos...

15. EDIFICAVITQUE MOYSES ALTARE, ET VOCAVIT NOMEN EJUS, DOMINUS EXALTATIO MEA. — Hebr. est, בוני אדוני נסי, quod primo, Noster vertit Dominus (est) exaltatio mea. Secundo, verti potest, Dominus est vexillum meum...

quod Deus sit exaltatio mea, qui me hostibus Amalecitis superiorem fecit, ideoque illi, ut signo, rei signata do nomen, illudque voco: « Dominus exaltatio mea; » uti solemus de effigie Caesaris aut Regis dicere: Iste est Caesar, hic est Rex, quia ista imago est Caesaris, haec Regis. Similes nuncupationes in Scriptura passim sunt obviae...

Nota hic victoriam in bellis a Deo pendere, esseque singulare donum Dei. Ita Judith conopaeum Holophernis, quasi anathema, Deo victoriae auctori consecravit, Judith cap. xvi, vers. 23. Jazazel propheta, cum insignem victoriam Josaphat regi contra Moabitas esset pollicitus, subiecit: « Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodo confidenter state, et videbitis auxilium Domini super vos; nolite timere. Cras egrediemini contra eos, et Dominus erit vobiscum, Il Paralip. cap. xx, vers. 17.

Ita Judas Machabaeus, cum sui timerent, utpote pauci, animans eos ait: « Facile est concludi multos in manu paucorum; et non est differentia in conspectu Dei caeli, liberare in multis, et in paucis; quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de caelo fortitudo est, » etc. I Machab. cap. iii, vers. 17.

Ita Trajanus dux belli missus a Valente Imperatore contra Barbaros, cum succubisset, ideoque a Valente ignaviae argueretur, generoso respondit: « Non ego, o Imperator, victus sum, sed tu ipse perdidisti victoriam, qui contra Deum aciem instruere non desinis, et ita ejus auxilium Barbaris concillas. Nam abs te oppugnatus, se illis adjungit. Atqui Deum sequitur victoria, et ad eos accedit quibus Deus se ducem praebet. Non nosti quos viros Ecclesiae expuleris, et quibus eas tradideris? » Ita Theodoretus, lib. IV Histor. cap. xxix.

Ita Theodosius Imperator cum ei victoria de Joanne tyranno in ludis Circensibus renuntiaretur, ad populum vociferans: « Agite, inquit, ludicro hoc omissio in adem hanc precatoriam eamus, et carmina gratiarum auctori victoriae Deo concinamus. » Dixit et fecit. Ita Nicephorus, lib. XIV, cap. vii.

Ita Clotharius, rex Francorum, cum Chramno filio rebelli dimicaturus: « Respice, inquit, Domine, de caelo, et judica causam meam. Quia a filio injuste injurias patior. Respice, et judica juste, illudque impone judicium quod quondam inter Absalonem et patrem ejus Davidem posuisti. » Ergo praello inito Chrammus a Clothario captus et occisus est. Ita Gregorius Turonensis, lib. IV, cap. xvi et xvii.

Alfonsus, Aragonum rex, ad filium Ferdinan-

Victoriam de manu Dei.

dum contra Florentinos in bellum euntem: « Noli, ait, o fili, tantum luce, aut commilitonum audaciae tribuere, ut putes absque Dei auxilio victoriam ullam haberi posse. Victoria enim non hominum disciplina aut industria paratur, sed Dei optimi maximi benignitate et arbitrio: Deum igitur cole, et tibi concilia: quod si quando eum tibi iratum suspicaberis, cave contentas; et quiddam ab eo tibi accidisse videbitur, boni consule, et patientia ac poenitentia eum placa. » Ita Panormitanus in ejus Vita.

16. DICENS: QUIA MANUS SOLII DOMINI, ET BELLUM DOMINI ERIT CONTRA AMALEC A GENERATIONE IN GENERATIONEM. — Hebr. est, quia manus super solium Domini est, id est, quia extendit Deus manum super solium suum, hoc est, extensione manus super solium suum juravit, et, id est quod, bellum ipsi et Hebraeis contra Amalec erit aeternum, hoc est, quamdiu Amalec superstes erit, q. d. Erit Hebrais cum Amalec ἀσπυδοί; πύλοισι, id est, bellum irreconcilabile et interneccinum.

Nota primo, quia non est causale, sed encliticum; respondet enim Hebraeo כי כי, quod saepe redundat. Unde Vatablus vertit, et dixit: Sublata manu per solium Dei juro. Moses enim hic altari nomen indidit simulque juravit bellum aeternum cum Amalec: sunt enim haec disparata, nec unum est causa alterius. Secundo, manus haec jurantis est vel Mosis, ut vult Vatablus, vel potius Dei: Noster enim vertit, « manus solii Domini; » idem clarius habet Chaldaeus et Septuaginta. Tertio, et vocula est non copulantis, sed confirmantis, et materiam juramenti designantis, significans, quod, quia. Hinc pulchre Chaldaeus vertit: Cum juramento dictum est hoc a facie terribili, cujus majestas est super solium gloriae, ut committatur praetium a facie Domini contra viros domus Amalec, ut consumat eos a generationibus saeculi.

Septuaginta manum super solium interpretantur manum occultam, vel potius, ut alii legunt, excelsam: sic enim habent, ἐν τῷ ὑψηλῷ κρημαίῳ (Eugubinus legit κρημαίῳ, id est excelsa, et hoc magis respondet Hebraeo) πύλοισι Κίρας, id est, quia in manu occulta et excelsa praelatur Dominus,

quasi manus Dei in solio ejus licet abscondita, excelsa tamen operetur (1).

Queres, cur olim et etiamnum juretur manu sublata in celum? Respondeo: Quia hoc ritu testatur Deum in caelis, quasi in solio suo residentem. Secundo, quia hoc ritu significamus quod sicut stant et perdurant caeli, sic firma erit res quam juramento promittimus. Sic ergo jurat hic Deus per thronum suum, quasi per rem sempiternam et immutabilem. Ita docent Hebraei.

Hinc S. Augustinus, lib. XXII Contra Faustum, cap. lxxiv, Mosen contra Fausti calumnias defendit, convictique contra eum (et contra nostros Anabaptistas et enthusiastas), fidelibus bellum esse licitum, eo quod illud Domini voluntate Moses susceperit, diciturque hic bellum Domini fore contra Amalec in aeternum.

Tropologicè, dicamus et nos tanquam resoluti milites Christi: Bellum Domini mihi erit, zeli ἀσπυδοί; πύλοισι, contra Amalec, id est, contra carnem et mundum in aeternum: hoc enim est bellum Domini, quod scilicet Dominus nobis imperat, quodque ipse per nos gerit. Cogita illud S. Francisci:

Modica hic voluptas: sed postea poena immensa.

Modicus hic labor: sed postea gloria aeterna. Elige.

Multorum vocatio, paucorum electio, omnium retributio.

Aeternitatem cogita.

(1) Prior hujus vers. pars non satis est clara. Hebraeus vulgo vertunt, manus Amalecitarum fuit contra thronum Dei: ideo bellum Dei contra Amalecitas, etc. Sedes autem Dei inter Israelitas esse conebatur. Quae interpretatio quam sit dura per se, et a superiore versa aliena, ultro apparet. Maurer: « Quum haec verba causam afferant, cur Moses vers. 13 altari nomen Jova vexillum meum imposuerit, dubitari vix potest, pro כי כי legendum esse כי (quod in uno cod. exstat), ut sensus sit: Manus quippe mea vexillo Jova admota est, manu mea tenes vexillum Jova. » Interpres Graecus anonymus, ejus versionem et eod. Veneto edidit Ammon, legit כִּי כִּי, vel כִּי כִּי, ἐπ' ὑψῖ, super nos, inleque hic sensus substatueretur facillimus: Prope altare nunc a vobis exstructum manum suam super vos provendit Jehova, jurans, se bellum interneccinum illaturum esse populo Amalec.

Bellum Christianum contra Amalec, id est, carnem et mundum, est aeternum.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jethro socer Moysi uxorem Saphoram cum filiis ad eum reducit; ejusque monitu, vers. 13, Moses cum ait partitur regimen populi, creatque magistratus, et judices, qui minoria diripiunt.

1. Cumque audisset Jethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quae fecerat Deus Moysi, et Israeli populo suo, et quod eduxisset Dominus Israel de Aegypto: 2. tulit Saphoram uxorem Moysi quam remiserat, 3. et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Ger-